III.
DISSERTATIO
De
JURISDICTIONUM FRUCTIBUS,

Pro Licentia habita à

DANIELE GRAMIZER, Noribergensi.

Altorffii A. 1709.

J. J.

PRÆFAMEN.

GRavissimæ semper inter eos, qui Rempublicam jure, legibus ac moribus regunt, de Jurisdictionum fructibus & compendiis exortæ sunt lites. Diviso enim inter plures jure, divisisque Jurisdictionum actibus, aliter fieri non potest, quin acerrime & summa contentione invicem decertetur. Sæpissimè nempe usu venit, unam provinciam multorum subjectam esse imperio, neque de uniuscujusque jure liquido constare; adeoque cum regnandi cupiditas se difficulter intra justi & æqui limites contineat, suos proferre fines alteriusque juri derogare, nostris cumprimis temporibus, ubi multis arbitraria Principum pro legibus sunt, rectum & summorum Virorum personis dignum à plerisque judicatur. Imò, licet nihil alienum aut non ferendum postuletur, ipsa Jurisdictionum varietas celeberrima litigia & concertationes parit, dum alius summum imperium, hic jurisdictionem simplicem, iste jus gladii, ille alia jura sibi vindicat; nec insolens aut à nostris moribus alienum putatur, in alieno territorio peculiari jurisdictionum specie frui. Qua ex causa ardui quam maxime & impediti laboris res est, cognoscere & discernere, quid ad unumquodvis genus referri debeat. In hoc insuper negotio difficultas aborta ferè inexplicabilis est, eo quod ad enodandos plerosque juris laqueos præstantissimis cæterum auctoribus frequenter uti nequeas. Induit quippe doctrina de Jurisdictione aliam plane in Germania faciem, ac quidem olim in Jure Civili, ad Romanum Statum composito, habebat, ut proinde sæpe frustra sint, qui prisci & obsoleti juris interpretes in consilium & subsidium advocant. Verum neque inter recentiores super hoc argumento ubique convenit, & ob multiplicem consuetudinum diversitatem, & ob partium studium, quod illos quoque non raro à veri rectique tramite in diversum rapit, qui alias in studiis doctrinæ multi atque celebrati sunt nominis. Poterat itaque

me materiæ sublimitas & gravitas à proposito deterrere & avocare, quo statutum cum animo ac deliberatum habeo, more in Academiis recepto, post exantlata feliciter examina, investigationem de Jurisdictionum fructibus instituere, & ut in disquisitionem veniat, in cathedram, pro consequenda ritè laurea doctorali, mecum afferre. Nihilo tamen minus cupiditas investigandi dissensionum circa materiam hanc vel quotidie noviter oborientium primordia, omnem hæsitationem & fluctuationem animi tandem excussit, & ardorem, qui pane resederat, excitavit rursus atque innovavit, ut audeam vadum tentare, & in uberrimo hoc argumento, quid Juri Franconico & generalibus moribus consentaneum sit, pro tenuitate virium exponere. Asserta tamen mea qualiacunque nemini neque fraudi neque præjudicio esse velim, si quidem vel per pacta & transactiones vel per consuetudines inveteratas & receptas, alibi alii mores & alia jura invaluerint. Usus enim & observantia, longique simul temporis possessio, optimam in controversiis, circa hanc materiam agitatis, interpretationem suppeditant.

CAPUT I.

PRÆLIMINARE.

§. I.

CUm propositum mihi sit, de nobilissimo Fructuum ex Jurisdictionibus resultantium argumento, Disputationem ingredi, me in limine Disquisitionis institutæ non adeo morabuntur, quæ de nominum evolutione & vario vocum significatu copiose dici poterant. Hæc enim vel ex Scriptoribus de Jurisdictionibus & Fructibus, quorum non exiguus est numerus, vel ex Lexicographis, multo melius hauriuntur. Illud autem omnino præmonendum erat, me in præsenti emolumentorum sive fructuum Jurisdictionalium illustratione, ipsis illis Jurisdictionis & Fructuum vocibus, in lata satis significatione uti: adeoque primum sub Jurisdictionis vocabulo, non solum omnes ejusdem species, Ecclesiasticam puta & secularem, & hanc quidem tam superiorem sive criminalem, quam inferiorem sive civilem, feudalem pariter ac forestalem, comprehendere, sed & ipsam Jurisdictionem universalem, quam Superioritatem Territorialem alio nomine vocare malunt, & quæ in amplissimo vocis Jurisdictionis ambitu cæteroquin includitur, ad institutum meum referre. vid. Arnold. de Reyger *voce Territorium. n. 15.* Dn. Schweder. *P. S. Sect. 2. cap. 10. §. 1. in fin.* Dn. Harpprecht. *Vol. 1. Consil. Tubing. 12. num. 118.* Deinde fructuum pariter nomen tam latè hic accipitur, ut omnem utilitatem & commodum omne, quod ex quacunque re percipi potest, complectatur, Lauterbach. *Coll. Theoret. Pract. Tit. de Usur. th. 42. & 44.* Siquidem commoda

moda Jurisdictionis à Jureconsultis etiam fructus vocari, in confesso apud omnes est. Bart. & Bald. *in l. f. ff. sol. matrim.* Knipschild. *de Jurib. & Privil. Civit. Imper. Lib. 2. cap. 6. n. 79.*

§. II.

Quamobrem, ut omnis verborum ambiguitas removeatur fructus jurisdictionales mihi sunt, omnia illa compendia æque ac commoda, quæ ex quavis jurisdictionis specie, etiam universali illa sive territoriali, in eum, qui jurisdictionem legitime exercet, redundant. Knipschild. *d. l.* Klock. *1. Consil. 10. n. 607.* Knichen. *de Jure Territ. cap. 4. n. 460.*

§. III.

Et quamvis cum jurisdictionum, tum fructuum variæ inveniantur divisiones, earum tamen recensione heic me supersedere posse vel ex ea causa arbitror, quod insigniores, ad Jurisdictionem spectantes, in ipsa argumenti tractatione occurrant, & in his, quæ ad fructus attinent, communiores & usitatiores à me recipiantur, quantum equidem materiæ, quam sub manibus habeo, commode inservire queunt.

§. IV.

Neque existimo ullum sanioris judicii mentisve, de justitia, æquitate & necessitate, fructus jurisdictionales percipiendi, facile dubitaturum. Sane ipsum Imperantium officium, dum salutem publicam summa contentione atque solicitudine conservat atque defendit, & de secura, vivendi ratione salubriter unicuique prospicit, hoc laboris sui gravissimi & molestissimi merito petit & expectat præmium. Sumtus, ad propellendos hostium insultus & servandam in Republica pacem & tranquillitatem, erogandi, impensæ in Ministros Ecclesiæ, quo veritas religionis Christianæ cum fructu doceatur, & cultus Divini Numinis publicus, observatis eam in rem rite ceremoniis, peragatur, & in civiles non minus Officiales, ut suum cuique jus illæsum & integrum constet, faciendæ, ædificiorum publicorum vel extructiones vel restaurationes, & quæ munerum undiquaque necessariorum alia & innumerabilia sunt onera, ab iis jure & exiguntur & persolvuntur, quorum commodis & utilitati salutique cumprimis consulitur. Atque hæc vera & solida ratio est, quare unaquæque jurisdictionum species, singularia sua onera ferenda habeat. Klock. *de Contribut. cap. 1. n. 46. seqq. & 312.* Merckelbach. *in Appendice Consil. 5. fol. 75. in fin.*

§. V.

Fundamentum itaque Fructuum Jurisdictionalium ipsa est Jurisdictio, & in hisce fructibus sive acquirendis sive percipiendis, Dominus Jurisdictionis universalis, sive Superioritatis Territorialis (der Landes-Herr) aut alius speciem Jurisdictionum vel Criminalem, vel Civilem, vel Feudalem, vel quamcunque

aliam, exercens, (der Cent-oder Fraisch-und Vogtey-Herr) compendia ista, ut effectum suæ Jurisdictionis ordinarium prætendit. Mevius *P. 4. Decis. 363. n. 13.* Knipschild. *Lib. 2. c. 6. n. 79. seqq.* Quemadmodum alioquin fundamentum alios fructus acquirendi, est Dominium tam verum quam fictum. Schüz. *in Compend. Lauterb. ad Tit. de acquir. rer. Dom. in fin.* Hopp. *ad §. 35. J. de R. D.*

§. VI.

Percipiunt proinde Jurisdictionum fructus, non solum harum Domini veri, & ii, quibus ab his id legitime concessum, ut Conductores, (modo mulcta, sive pœna pecuniaria, ante finitum tempus Conductionis, sit irrogata, cum hoc in casu non ad tempus commissi delicti, sed condemnationis factæ respiciendum sit. Anton. Faber *in Cod. lib. 9. tit. 25. de pœnis.*) sed etiam omnes in possessione vel quasi Jurisdictionis existentes, & per sententiam Judicis latam Victores, iis fruuntur, ob commoda possessionis, quæ possessori, donec in petitorio contrarium evincatur, etiam fructus præsentes attribuunt. §. 4. *J. de Inter. ict.* Mev. *Consil. 3. n. 124. & P. 2. Decis. 3.*

§. VII.

Cum igitur ut plurimum diversitas Jurisdictionum separatarum, diversos & separatos quoque producat fructus, atque hi ipsi unicuique competant, prout hanc vel illam jurisdictionis speciem exercet. Klock. *de Contribut. cap. 1. §. 230. sqq.* Wehner. *Observat. Pract. voc.* Vogtey. Knipschild. *c. l.* distincte atque partite de tota re pronunciandum est. Hinc primum de Fructibus Jurisdictionis Universalis, sive Superioritatis, Territorialis, dein Criminalis, postea Civilis, deinceps Forestalis, & denique, ut vulgo fieri consuevit, Feudalis quoque disseram, & quid de singulis habendum sit, quam potero, compendio dicam.

CAPUT II.
DE
FRVCTIBVS JVRISDICTIONIS VNIVERSALIS SIVE SUPERIORITATIS TERRITORIALIS.

§. I.

MAjestati, seu summæ illi, quæ Imperatori competit, eminentiæ analoga Potestas, est Jurisdictio Universalis, sive Superioritas Territorialis. Secundum Germaniæ Stylum, pro diversitate subjecti, diversa quoque sortitur nomina, & quidem, ratione Principum, die Landes-Fürstliche Hoheit, ratione autem aliorum Statuum, die Landes-Herrlichkeit dicitur. Qua ratione Principes & Status Imperii Germanici, post immutatam à Carolo M prisci in Germania regiminis formam, sub Imperio cumprimis Henrici IV. & durante illo

illo notissimo, quod orbem patrium gravissime afflixit, interregno magno, ad id culmen potestatis pervenerint, & hæreditario jure ad posteros transmiserint, difficile dictu est, longaque & ancipiti investigatione historica opus habet. Multum sudoris laborisque huic rei impenderunt, celeberrimi viri Knichenius, Coccejus, Lindenspur, Mingius, Knipschild, aliique plures, & doctissimas Conjecturas in medium protulerunt. Nec enim veteris ævi in conscribenda historia sive segnities, sive socordia, &, quæ exinde originem ducit, fide dignorum monumentorum penuria, supra probabiles conjectationes assurgere patitur. Nostra ætate Summa Principum & Statuum Imperii potestas, quam Superioritatem Territorialem vocant, auctoritate Legum Imperii fundamentalium, & pacis Westphalicæ fide, ita roborata & confirmata est, ut ad eam asserendam & tuendam, annalium memoriam replicare supervacaneum sit. Tam augustum vero Jurisdictionis Universalis sive Superioritatis Territorialis nomen est, ut secundum commune dicterium quilibet immediatus Imperii Status, vi ejus, in terris suæ ditioni subjectis, quoad Jura territorialia & regalia, omne id facere possit, quod Imperatori in toto Imperio faciendum competit; salva tamen ipsius Imperatoris suprema Majestate, salvisque reservatis. Hincque Superioritatem territorialem omnes Jurisdictionis species sub ambitu suo continere, ipsum nomen ejus arguit, cum secundum Brocardicum illud, necesse sit, ut qui se fundat in toto, in qualibet etiam ejus parte se fundet. Gail. *2. Observ. 62. n. 9. & Tract. de Pignor. cap. 8. n. 6. & seqq.* Mynsing. *Consil. 16. n. 35.* Cravett. *Consil. 673.* Menoch. *de Præsumt. Lib. 3. præs. 100. n. 1.*

§. II.

Ut distinctius & clarius omnis res cognoscatur, sæpius dicta hæcce Superioritas Territorialis sive Jurisdictio Universalis *I.* omnium jurisdictionum species regulariter complectitur, & propterea omnes quoque fructus & emolumenta Jurisdictionum comprehendit; de quibus in sequentibus largior se offeret dicendi occasio. Lauterbach. *Dissert. Jurid. Tubing. Vol. 4. de Jur. aggratiand.* Ill. D. Stryk. *Volum. Dissert. I. de Jurisdictione circumsepta cap. 1. §. 18.* Linck. *de Centena cap. 2.* §. 4. Ziegler, *ad Aur. Prax. Calvol. §. Landsassii Concl. 1.* Et hanc quidem jurisdictionem observare licet in terris Imperii, ubi obtinet Landsassiatus; In Franconia vero, cum nuspiam territoria clausa, ut nominant, invenire liceat, limitibus certis & finibus circumscripta, atque ea Franconiæ incolarum inter se sit permixtio, ut raro pagum aut vicum, uni saltim domino subditum, queas ostendere, aliter se res habet, nempe qui in alterius territorio sunt & vivunt, non statim & simul de ipsius sunt territorio, sed in eos proprii sui domini est jurisdictio. Lauterb. *in Diss. de Condom. Territor. cap. 1. th. 7.*

§. III.

§. III.

Jurisdictio Universalis *II.* Regalia Jura comprehendit, die Landes-Hoheiten. Equidem hæc Jura regalia cum ipso jure territoriali sæpius confundi video, revera tamen ab iis differunt, meritoque separantur, cum usu venire soleat, ut Jure Superioritatis destitutus, regalia tamen certè quædam ipsa vel ex Consuetudine vel ex Præscriptione possideat. Referunrur ista jura ad Jurisdictionem Universalem, in quantum Dominus Territorialis fructus quosdam & commoda ex iis percipit; suntque duplicis generis majora scilicet & majestatica, & minora, quæ in Capitulatione Cæsarea non Electoribus solum, sed reliquis quoque Principibus & Statibus conceduntur, & exceptis reservatis confirmantur, prout patet ex Capitul. Imp. Carol. V. Ferdinandi I. Rudolphi II. Matthiæ, Ferdinandi II. Ferdinandi III. Leopoldi I. & Josephi. §. 3. Recensus eorum prolixior est, quam ut commode heic institui queat, atque eo labore multi præclari Scriptores egregie defuncti sunt, dum de excelsis Principum Dignitatibus & aliorum Statuum prærogativis, justo volumine egerunt ex quibus etiam ea, quæ ad Jura Territorialia gratiosa & justitiaria spectant, petuntur. Mei quam maximè instituti est, ut ad minora, utpote magis in reditibus & fructibus consistentia, me convertam, & insigniora strictim enarrem.

Revero itaque *a*) huc ex Jure Status resultantem potestatem, collectas provinciales Landsteuern indicendi & exigendi. Klock. *de Contribut. cap. 1. n. 231. & capit. 14. Sect. 3. n. 17.* Sive eæ sint personales, vel reales vel mixtæ. Rosenthal. *cap. 5. Concl. Juris feud. 73.* Sive sint vel universales vel particulares, vel ordinariæ, vel extraordinariæ aut quocunque alio veniant titulo & nomine, D. Schwederus *P. S. Sect. 2. cap. 15. §. 2.* verbi gratia, Capitationis, der Kopfsteuer, quæ æquabiliter, nulla facultatum aut ætatis ratione habita, indicitur; Detractiones der Nachsteuer, qua damnum, ex transportatione bonorum in alium ditionem, Dominis prioribus exortum, aliquo modo compensatur; Indebiti des Umgelds, Guidagii, des Geleitgelds, quod pro petito Conductu solvitur; Accisiarum, Pedagiorum, Collectarum, quibus frequentior usus Gabellarum nomen imposuit, & de quibus, quam diversi sint generis, consuli poterit laudatus Klockius, *c. l.*

Quemadmodum autem Præstationes Extraordinariæ non pecuniariæ tantùm sunt, sed & in operis consistunt, ita *b*) huc Angariæ & Perangariæ præterea pertinent, quæ præstatione jumentorum, plaustrorum, navium, aliarumque rerum absolvuntur, da man der Obrigkeit mit Wägen, Pferden, Vorspann und andern dienen muß, & propter necessitatem seu aliquod repentinum ingruens negotium, uti frequenter & crebro à subditis in Territorio, sic etiam aliquando à forensibus tum ibidem degentibus, propriis sumtibus, præstandæ,

ſtandæ, veniunt. Nec, quod ad forenſes attinet, id absque juris ratione ab iis exigitur, quandoquidem ob utilitatem vel ſecuritatem publicam, qua fruuntur, & ob plures in ipſos redundantes in Republica fructus, omnino collectari poſſunt, fuſius hoc docente Klockio *c. 1. n. 17. & cap. 13. Sect. 1.* Lundenſpur *de moderna Imperii Jurisdict. cap. 30. n. 160.*

c) Jus metallifodinarum deinceps huc ſpectat, quo Domini Territoriales, omnia mineralia in ſuo Territorio invenienda, ſive loca ſint publica, ſive ad privatos pertineant, tanquam pretioſa terrarum, als des Landes-Schatz, ſibi attribuunt. Atque heic denuo vocabulum metalli in latiſſima ſignificatione accipitur, eoque non tantum Aurum, Argentum, Æs, Cuprum, Stannum, plumbum, ferrum, intelligitur, ſed & argentum vivum, ſal ſubterraneum, minium, quin & gemmæ, marmora, ſalinæ &c. Gold, Silber, Ertz, Meſſing, Kupffer, Zinn, Bley, Eiſen, Queckſilber, Salpeter, Menning, Marmor, Alaun, Vitriol, Schwefel, Mercurius ſublimatus, Magnet, gebrannt Kupfer, Grünſpann, Cryſtall, Weinſtein, Saltz, Sal Gemmæ, Sal Armoniacum, Sal Alcali, Kalch, Aſchen, Amber, Agtſtein, Wißmut, Zwitter, Glantz, Kobold, Zinober, Spießglaß, Jaſpis, und andere Stein, ꝛc. vid. Seckendorff im Teutſchen Fürſten-Staat. *Part. 3. cap. 3. n. 1.*

d) Juris pariter Fluminum publicorum, heic locum ſuum habet, una cum omnibus exinde provenientibus utilitatibus ac Incrementis fluviaticis, ut ſunt reditus piſcationum, portus, ripatica, inſulæ in flumine natæ, alveus à flumine derelictus, jus concedendi ædificationem molendinorum, jus grutiæ & rates ducendi, beſtehet alſo dieſes Recht aus verſchiedenen Regalien, als der Fiſch-Flöß-Schiffmühl-Bau, Inſel, Strand und andern Gerechtigkeiten Dn. Schwed. *P. S. Sect. II. cap. 15. §. 10.*

e) Jus Territorii ſtatibus porro Jus fiſci ſeu Jura fiſcalia, in multis ut plurimum & Confiſcationibus conſiſtentia, adſcribit. Confiſcationi autem ſubjecta ſunt.

1.) Bona vacantia præcipue, Erbloſe Güter, puta, ſi nulli exiſtant legitimi hæredes, nec, prævia proclamatione affixoque publico proclamate, tales compareant, Dominus Territorii hæreditatem adit, cum onere, ut defuncti creditoribus pro facultatibus hæreditatis acquiſitæ ſatisfaciat. Quo in caſu Illuſtris Respubl. Norimbergenſis non ſolum jure territoriali gaudet, ſed inſuper, ex privilegio ſpeciali ab Invictiſſimo Imperatore, Carolo V. A. 1550. gratioſiſſime ſibi conceſſo, & a Glorioſiſſimæ memoriæ Imperatore Rudolpho II. A. 1577. pari Clementia confirmato, in bona vacantia, & teſtamento pariter ac hæredibus deſtituta, ſuccedit. Klock. *de ærario lib. 2. cap. 136. n. 13. & in Annot.* Generoſ. & Magnificus Dominus Procancellarius Pellerus, JCtus de

Republica Patria & Academia Altdorf. immortaliter meritus. Mingius *de Superiorit. Territor. Conc. 69.* Gail. *2. obs. 86. n. 4. & observ. 30. in pr.* Klock. *de Contribut. cap. 1. n. 303.*

2.) Fisco debentur, atque bonorum vacantium rationem induunt, prædia inculta ac deserta, die Neubrüche, Rothland, neuausgereutte Felder, novalia, seu terræ de novo cultæ, cum olim steriles, nemorosæ, aut paludosæ fuissent, præsertim ab Universitate aliqua nondum accupatæ. Quodsi posterius hoc contigerit, in recognitionem supremæ Jurisdictionis, decimæ der Noval-Zehenden, publici emolumenti ergo, Dominis Territorii, minimum iis, qui Protestantium nomine censentur, exsolvuntur, ob magnam affinitatem, quam hi agri de novo culti, aut de quibus, an unquam fuerint consiti, non extat memoria, cum bonis desertis vacantibusque habent. Harttm. Hartmanni *Lib. 2. Pract. Obs. tit. 53. Obs. 10.* Michael *Dissertat. de Jurisdict. th. 49.* Valet autem hæc lex penes Ecclesiasticos, præsertim in novalibus publicis, eo quod fundus nulli privato competat, sed in possessionem Domini territorialis veniat. Neque enim ea Pontifici Romano aut universo Clero assignari debet Potestas & Licentia, ut impune queat Statum Imperii, in territorio suo, nova servitute onerare. Plane nihil ad rem facit exemplum Veteris Testamenti, ubi Decimæ Sacerdotibus & Levitis fuere concessæ, per legem positivam forensem, in subsidium victus & patrimonii, propter defectum aliorum reditnum, & quod in dividenda per sortem terra promissionis, nulla iis obtigerit hæreditas. *Vid. Num. 18. 20. seq.* Nostro ævo antistitibus sacrorum, & omnibus rem divinam facientibus, salaria certa plerumque erogat Magistratus politicus, unde vitam honestè sustentare possint. Syringius *in Praxi aurea Juris Decimandi cap. 7. §. 8.* Klock. *de Contribut. cap. 1. n. 303.* Knipschild. *de Civit. Imper. Privil. Lib. 2. cap. 16. n. 40.*

Nec non 3.) Fisco adjudicantur bona ereptitia, seu indignis ablata, quibus alicubi accensentur die Hagstelzen, vid Wehner *in Observ. h v.* postquam ex iis, ceu in hæreditatibus fieri moris est Creditoribus & Legatariis est satisfactum; DD. & Gloss. *ad L. cum fisco. 9. ff. ad SCtum Syllan.* Klock. *de Ærario lib. 2. c. 138.* ibique Magnificus Dominus Annotator, omni elogio major.

Eorum porro bona 4.) Fiscus arripit, qui incestum commiserunt, modo liberi legitimi ad tertium usque gradum, videlicet pronepotes, & parentes usque ad secundum gradum, item fratres & sorores, nec non patruus & amita deficiant Klock. *c. l.*

Similiter 5.) bona spuriorum, ex damnato coitu natorum, & sine liberis decedentium in fiscum confluunt. Klock. *Part. 1. Consil. 29. n. 870.*

Cujus reditus 6.) amplius augentur ex jure succedendi in hæreditatibus peregri-

peregrinorum advenarum & alienigenarum. Quanquam fatendum ſit, Gallorum moribus id unice ferme obſervari, atque Jus Albinatus ſive Albinagii vocari. Klock. *c. l.* Nemo tamen Statibus Imperii eam poteſtatem, ſi illa, tanquam jure retorſionis in Gallos, uti velint, cum ratione denegaverit.

Deinde 7.) Confiſcationi ſubjacent bona eorum, qui Crimen læſæ Majeſtatis commiſerunt. Klock. *de Ærario lib. 2. c. 137.* Nam quamvis in Imperio Confiſcationes bonorum ob alias cauſas, per Conſtit. Imperat. Carol. V. ſublatæ & prohibitæ ſint, in der Peinlichen Hals-Gerichts-Ordnung *art. 218.* Klock. *c. l. lib. 2. cap. 140.* & quidem præcipue hanc ob rationem, ne magis ob bona, quam delicta intententur. Limnæus *in Not.* ad Capit. Ferdin. III. *art. 28. verb.* Keineswegs, ꝛc. nihilominus ibidem enorme hoc imo horrendum læſæ Majeſtatis crimen ſpecialiter excipitur, ejusve reſpectu, veteres leges ita confirmantur, ut eo perpetrato Confiſcatio bonorum etiam deſcendentibus hæredibus extantibus locum habeat, adeo ut nihil in totum filiis, quam qui alias paterno deberent perire ſupplicio, cum & in iis paterni, hoc eſt hæreditarii Criminis exempla metuuntur, præter vitam Imperatoria lenitas ſpecialiter concedat, relinquatque, ut tales ſint, quibus, perpetua egeſtate ſordentibus, ſit & mors ſolatium & vita ſupplicium; Imo vix filiabus parcat, falcidiam ſolam relinquat, ut habeant mediocrem potius alimoniam, quam integrum emolumentum aut nomen hæredis: tum quod mitior circa eas debeat eſſe ſententia, quas pro infirmitate ſexus, minus auſuras conſiditur. Klock. *d. l. cap. 139.*

Nec minus 8.) ad Fiſcalia Jura Theſaurus inventus redigendus eſt. Quod ſi repertores magicarum artium incantamenta adhibuerint, aut locus inventionis fiſcalis fuerit, totus ad Dominum Territorii defertur; accedente inſuper ſilentio & ſuppreſſione voluntaria, cum altero tanto reſtitui debet. *l. 3. §. fin. ff. de Jur. Fiſci.* Et ita communiter DD. ſentiunt. Sed ego crediderim, indiſtincte theſaurum repertum fiſco eſſe adſcribendum, ſi ejus rei oppreſſa mentio eſt. Vid. Reformat. Noricam. *Tit. 25. l. 1. §.* Doch ſo der Finder, *ibi:* der Obrigkeit ꝛc.

Tandem 9.) nemo ambigit, quin ex multarum impoſitione inſigne Emolumentum fiſco accedat. Mulctantur autem violatores & defraudatores, vectigalium, ſuæque proterviæ pœnas ex merito ære luunt. Aliquando Dominus Territorii, vigore Juris aggratiandi, ſupplicium mortis promeritum aut alias pœnas corporis afflictivas, in pecuniariam mulctam commutat; adeoque ſontes vitam ſuam certa argenti ſumma redimere jubet. Hæc ipſa verò reis pœnarum veniam indulgendi poteſtas, inter Regalia Jura præcipuum habet locum, & ab omnibus Imperii Statibus, ceu illuſtriſſimum & primarium ſummæ ſuæ jurisdictionis ſummæque dignitatis munus exercetur. Beſold. *de Civit. German.*

Part. 1. *c.* 6. *th.* 18. Carpzov. *Pr. Crim. p.* 3. *qu.* 150. *n.* 19. Quare iis, quibus superior, criminalis seu alta tantum jurisdictio conceditur, neque integrum est, neque licet, in capitali supplicio afficiendos mitiorem pœnam constituere, mortisque reos aut fustigationi subjicere, aut exilio punire, aut argento emungere. Quippe tum demum vices officii sui rite explent, cum de commissis criminibus solicita indagine cognoscunt, &, ut in suo quisque vitio plectatur, probè dispicunt, omni delictorum venia, sontibus & reis facienda, ad Dominos Superioritatis Territorialis remissa. Quibus ipsis incumbit, ne summo hoc jure suo & æqua cum Diis potestate intemperantius utantur, aut potestatem illam, peccantibus veniam indulgendi, in effrenem peccandi licentiam convertant magisque animum lucri cupidum, quàm mite & mansuetum ingenium suum turpiter prodant, sed rationes delicti perpetrati magno acrique judicio ab origine, causisque primis repetant, discernant, expendant, & cum concedendum atque ignoscendum esse videtur, malefacta condonent. Sane magna flagitia libera & multa dimissa, hominibus improbis & vitiis contaminatis spem impunitatis faciunt, ipsos effrenatiores reddunt, & illum, qui imprudenter delicti gratiam fecit, culpa vacare non sinunt, sed reum peragunt. Justitiæ proinde, si quid clementer fit, non est obliviscendum, sed & nec honestatis; atque omni modo cavendum, ne sordidis improbisve mediis, vel cum Fl. Vespasiano urinario, vel cum Pontifice Romano lupanario vectigali aliquis ditescat, ut prudenter monet Klockius *de Ærario Lib.* 2. *cap.* 42. & Lauterbach. *disputat. Jurid. Tubing. Vol.* 4. *de Jur. aggratiandi.*

f.) Perceptio Vectigalium Regalibus omnino additur, sive sint ripatica, sive portoria, sive Telonia. Ast vetera & antiqua sint oportet, justoque titulo quæsita, nec noviter introducta, vel præter fas adaucta. Siquidem pro arbitrio nova vectigalia & imponere & exigere, vel vetera pro lubitu adaugere, nemini in Imperio ex Jure Status permittitur, sed ad eam rem concludendam, Imperatoris quam maxime, dein omnium Electorum, & confinium postea Statuum, quorum cumprimis num vectigal recens imponatur nec ne ? interest, consensus requiritur. Antiquitus equidem facultas, vectigalia cum imponendi tum prorogandi & augendi, penes Solum Romanorum Regem erat, teste Schwaben Spiegel, *c.* 12. *n.* 4. ibi: Alle Zölle und Müntzen, die seynd eines Römischen Königes, und wer sie haben will, er sey Pfaff oder Lay, der muß sie haben vom Römischen Reich und dem König, und wer das nicht thut, der frevelt am Röm. Reich, it. Recess. Imperii *de An.* 1576. §. Weiter seynd wir. §. 116. & 117. ubi: Den Zoll steigern gehöret zur Kayserl. Majestät sonder Hoheit und Reservaten. Postea verò limitata illa potestas est coarctata, atque per Capitulationes Augg. Impp. Caroli V. *art.* 18. & Ferdinandi I. *art.* 17.

seqq.

seqq. ad Consensum Electorum exclusо tamen Bohemiæ Rege, ceu Limnæus ad Capit. Car. V, *art. 15. & 18.* probat, restricta est, viguitque hæc constitutio per integrum & quod excurrit seculum, Daniæque Regis Legato in Comitiis Ratisbonensibus A. 1637. vectigalis Tychopolitani Prorogationem petenti, ab Electorali Collegio responsum est: Man befinde nicht, wie, bey jetzigen beschwehrlichen Zeiten, in præjudicium tertii solche Prorogation bewilliget werden könnte ꝛc. Atque eo tempore gravissimum illud & sanctissimum illud totius Imperii Consilium, magno assensu in hanc sententiam discessit, & ulterius aliquid concedere renuit. Theatr. Europ. *pag. 780.*

Ast tandem in Capitulationibus Gloriosissimi Leopoldi & hodiè regnandis Invictissimi Imperatoris Josephi, Status Imperii potestatem hancce arctius restrinxerunt, his verbis: Keinen Zoll von neuen geben, noch einige alte erhöhen, oder prorogiren, ꝛc. Es seyen dann die benachbarte und *interessirende* Stände, ꝛc. und aller und jeder sieben Chur-Fürsten Wissen und Willen ꝛc. dergestalt vorgegangen, daß keines Churfürsten Dissens dargegen. Capit. Leopold. *Art. 21.* & Josephi. 20. Ex quibus liquido constat, nostris temporibus, vectigalia nova imponi, vetera renovari, dilatari, prorogari, adaugeri nequaquam posse, nisi *Imperatoris* & *Electorum* omnium *Unanimis* adsit consensio, & his ipsis cum *adjacentibus Statibus*, quorum in recenti vectigalium impositione & exactione res agitur, & magnopere refert, convenerit. Quo ipso Accisiæ aliæve impositiones & exactiones propter consumptibilia imperatæ, de quibus supra mentio facta est, à vectigalibus se satis secernunt, & maximo ab illis intervallo distare cognoscuntur. Quilibet namque summas rerum tenens, sine ulla dubitatione in suo territorio, jure statûs, accisias, & quæ alia cum his affinitatem habent, onera imponit & pendi jubet, à civibus suis & subditis primario, à forensibus vero non nisi secundario & per indirectum, dum nempe alicubi commorantur aut mercaturas faciunt, quo in casu proclive & solenne ipsis est, pretia rerum venalium amplificare, & factas in victum expensas uberiore quæstu compensare, id quod Germani vocant: Den abstattenden Impost auf die Wahren schlagen.

§. IV.

Jura hæc atque regalia cuncta, quorum hactenus facta est recensio, ordinarie jurisdictioni territoriali sunt annexa. Observationem autem singularem meretur & silentio præteriri haud debet, quædam ex his aliquando tamen aliis Territorii non Dominis sic esse quæsita, ut, quamvis illorum exercitium, ex parte exercentium, superioritatem territorialem non importet, non ullatenus evincat, commoda tamen hinc inde enata & percepta, ad ipsos utique & citra controversiam redundent. Lauterbach. *de Condomin. Territor. cap. 1. §. 7.*

HAc ratione verbi gratia Sereniſſimi Dnn. Burggravii de Nurenberg in Sylvis Imperialibus circa urbem ſitis tertiam feram, unde ſenſim temporis tractu jus venandi exortum eſt, aliaque jura particularia jure habent, verum ipſa Illuſtris Respubl. Norimb. omnem Territorialem Superioritatem rite ibidem juſſu ac vice Summi Imperatoris adminiſtrat. Cujus jura neque labefactantur neque convelluntur, quod quidam elogiorum Scriptores & ſubleſtæ fidei Hiſtorici, immo & Politici quidam, penitiore cauſæ, quam ornandam tamen ſuſcipiunt, cognitione deſtituti, contrarium affirmare ſuſtineant. Nemo ipſis vitio vertat, ſed inſtituto eorum alacriter quivis applaudat, ſi Sereniſſimæ Domus, cui Deus æternum bene faxit, virtutem, excellentiam, felicitatem, honores, dignitates, victorias, tropæa, merita, orationibus ſcriptisque decorent, laudibus illuſtrent, & ſempiternæ gloriæ commendent: Nihil enim tam magnum & exceſſum dici poteſt, quin Heroës, ex illa proſapia oriundi, omnibus illis longiſſimè antecellant. Sed quando illuſtri Norimberg. Reipubl. jurisdictionem territorialem, & exinde reſultantia jura adimere, ſuisque, quos elogiis ad cœlum meritò efferunt, Principibus adſcribere conantur, rem faciunt ſupra modum iniquam, à juſtitia Sereniſſ. Principum, quorum ea unica, ut ſuum cuique tribuatur, laus eſt, alienam, & alio fundamento, niſi imperitia & injuria ſcribentium, non ſuperſtructam. Inſoliti præterea exempli atque minus æquæ ſcriptionis genus eſt, prætenſa Dignitatis Principum ſublimitate, minoris ordinis Statui frequenter inſultare, in re tam ſeria verborum ſtrepitu, coloribus & lenociniis, non autem argumentorum pondere agere, ampullas & ſesquipedalia verba projicere, & ubi ad probationes ventum eſt, incredibili ſententiæ frigidas ratiunculas ſuggerere, cum larvis & lemuribus decertare, neque originem juris ſui, neque poſſeſſionis vel quaſi ullum titulum oſtendere poſſe. Si enim hoc ſummum jus ſit, ut Summorum Principum obtenta auctoritas pro clypeo & dubiæ cauſæ juſta defenſione valeat, neminem ab injuſtis impetitionibus liberum eſſe poſſe, fatendum omnino eſt. At vero olim in Excelſo Imp. Dicaſterio Cam. Dnn. Burggravii de Nurenberg, Reipubl. Noricæ de Superioritate Territoriali litem nunquam intenderunt, ſed de mero Imperio & de jurisdictionis criminalis exercitio utrinque certatum eſt, quam à Jurisdictione territoriali toto, quod ajunt, cœlo differre, nemo eſt qui ignorat. Et, quod præcipue notandum, non univerſa ditio Norimbergenſis, in diſceptationem venit, ſed de certis quibusdam locis, in libello nominatim expreſſis, tantùm litigatum, & ſententia quidem ſuper ea quæſtione, pro Sereniſſ. lata eſt, reſtrictiva tamen illa libello nimirum conformis & in poſſeſſorio ſaltim, ſalvo manente atque adhuc pendente petitorio, ſalvis itidem Reipubl. Norimb. ampliſſimis privilegiis & transactionibus. Nec porro

in

in illis, de quibus Norimbergensibus litem movebant Dnn. Burggravii, locis omnibus & singulis, causam Respubl. Norica perdidit, sed in quibusdam locis expressis itidem à Judice exercitium meri imperii jure suo obtinuit & retinuit; id quod nunquam fieri potuisset, si ex parte Serenissi. Marchionum Brandenburgicorum meri imperii possessio vel quasi, aut Superioritas territorialis in universum agrum Norimbergensem, in dubiis argumentis ostensa, aut alterutra à Judice agnita fuisset. Itaque sententia Cameræ Imperialis, qua Dnn. Burggravii Victores exstiterunt, ipsis Jurisdictionem territorialem nullo modo assignavit, nec unquam adscribere poterit imposterum. Dum enim, pro causæ suæ confirmatione, primum literas infeudationis Romanorum Impp. Rudolphi & Alberti, secundo titulum Vicariatus & præsidii perpetui in judicio provinciali Norimbergensi allegant, neutro horum, quod volunt, auferunt. Nimirum modo dictæ infeudationis literæ, a Romanorum Impp. Rudolpho I. & Alberto I. A. 1273. & A. 1300. exaratæ abunde demonstrant, exigua admodum & particularia modo jura locaque pauca in territorio Norico fuisse, queis ab Augg. Romanorum Imperatoribus donati & investiti sunt Dnn. Burggravii in Nuremberg, sc. concessione tertiæ feræ, tertiæ arboris, lignorum jacentium, officii foresti ex altera parte pontis Villæ Werdæ & Villæ Buch: quæ omnia & singula deinceps ab Electore & Burggravio Friderico Anno 1427. jure emtionis & venditionis in Norimbergensium potestatem venerunt. Ex iis autem nemo, qui rem recto ponderat judicio, aut universale territorium, aut jurisdictionem universalem temere exsculpat, cum de postremo hoc in literis infeudationis altissimum sit silentium. Immotæ enim veritatis est JCtorum regula: quod in investitura non est expressum, etiam non habetur concessum. Lucra proinde & loca memorata si excipias, investitura, quam Imperatores Romanorum clementissime Dnn. Burggraviis in Nuremberg indulsere, ad alia non extenditur, ne dum ad nemora, urbem cingentia, quæ territorium, quod in disceptationem venit, constituere debent. Inficetum profecto fuisset, Dn. Burggravio, jam tum vero legitimoque universæ illius, usque ad mœnia civitatis extensæ regionis Domino Territoriali, ex speciali gratia & indultu Augustiss. Cæsaris concedere, ut in eo districtu, habeat tertiam feram, tertiam arborem ex foresto, & ut omnia ligna jacentia in Silvis tollere, capere & habere queat, insuper ut officium foresti, ex altera parte pontis versus Castrum Diœceseos Bambergensis, cum omnibus attinentiis penes ipsum sit, ipseque forestarium constituere valeat, villam præterea Werdæ, villam Buch, oppidum Schwand, & carum Creussen in possessione habeat. Supervacaneum, inquam, omnino fuerat, hæc omnia, largitione & munificentia Imperatoria consequi, quorum quis se antea jam Dominum potuisset gloriari & vinditare. Nam qui

toto

toto jam gaudet, eum non de certa & parva satis totius parte specialiter investiri debere, nemo inficiabitur. E contrario, ad repræsentandam Scriptorum & litigatorum illorum in re clara iniquitatem, observare licet, silvas circa Norimbergam sitas, nunquam Dnn. Burggravios, sed semper Imperatores Romanos, ut immediatum peculium Imperii tenuisse. Sane Rudolphus, novem integris ab investitura supra dicta elapsis annis, & qui eo defuncto arbitrium Rom. Imperii obtinuit, Albertus, silvas Noricas *Nemus suum* vocat. A qua loquendi & scribendi forma subsequentes Imperatores adeò non abeunt, ut in innumeris, post investituram illam, præscriptis Diplomatibus verba hæc occurrant Unsere und die Reichs Wälder. Ejusdem tenoris sunt, quæ in Privilegio (quo de mox plura afferam) Caroli IV. An. 1355. dato, inveniun-
" tur: *Nos Carolus IV. &c. respicientes & Considerantes defectus & damna,*
" *quæ & nobis & Imperio quotidie obveniunt, in nostris & Imperii silvis & ne-*
" *moribus prope Nurmberg sitis &c.*

Utut igitur, quæ hucusque disserui, excogitatum à Sereniss. Marchionum defensoribus territorium & jurisdictionem universalem funditus evertant, destruantque, & liquido potius ostendant, ad Imperatorem & Imperium subinde silvas istas noviter controversas spectasse; novum tamen, & id firmissimum, bonæ Norimbergensium causæ accedit, ex eo capite, argumentum, quod Imperatores Romani, concessis illustri & ab exteris quoque in exemplum sapientissimi regiminis propositæ Reipublicæ Norimbergensi specialibus diplomatibus, voluerint & jusserint, ut Senatus Noricus silvarum circa urbem nascentium curam gerat. Quod magna solicitudine in hunc usque diem factum esse, omnes norunt. Caroli IV. cumprimis concessu & beneficio ab A. 1355. illud Norimbergenses obtinent, cujus sunt verba: *Donamus & concedimus civibus de consilio Civitatis Nurembergensis, fidelibus nostris dilectis omnibusque successoribus, pro custodia & salvamento earundem sylvarum infra scripta Jura, Constitutiones & Statuta pro juribus perpetuis habendis: In primis, quod omnes officiales, Forestarii & Mellicidæ, qui Zeitlarii vulgariter nuncupantur, super utrisque sylvis utrobique & ex utraque parte fluvii Pegniz, quando ex parte Consulum Civitatis Nurembergensis requiruntur, singulis annis semel tenentur venire ad consilium civitatis Nurembergensis, & ad sanctos jurare, constanter observare & tenere, quicquid prædicti Cives de Consilio Civitatis Nuremb. deliberaverint, pro Imperio & Civitate ipsorum, quod utile sit ejusdem sylvis, & debent etiam accusare & nunciare per dictum eorum juramentum, quicquid prædictis sylvis poterit esse nocivum & damnosum. Prædicti etiam officiales, forestarii, aliique servitores ipsorum nulli tenentur vendere aliqua ligna de ambabus sylvis, nec alicui dare licentiam ligna de iisdem sylvis,*

exceptis

exceptis illis, qui antiquitus de eisdem sylvis utebantur, & qui jus in hoc habere noscantur, &c.

Qua ex causa, gloriosissimæ memoriæ Elector Fridericus, omnia sua jura, ex memorata superius investitura Cæsarea sibi competentia, in Rempublicam Noricam, bona cum Imperatoris venia & accedente ejus Confirmatione, jure venditionis transferens, silvarum nullam facit mentionem, neque instrumento emtionis & venditionis vel vola vel vestigium ea de re extat, sed quorundam saltim in iis ad se spectantium jurium meminit. Denique ex universis quondam per investituram Burggravialem acquisitis fructibus & regalibus, celsissimis Venditoribus, tam intra quam extra urbem, nihil relictum nec reservatum novimus, præter 1.) Titulum & Dignitatem Burggravii Norimbergensis, 2.) Præsidium in judicio provinciali cæsareo, 3.) tertiam feram in nemoribus, ex qua re, per meram usurpationem, hodie jus banni ferini enatum est. 4.) Pauca quædam alia & ea singularia feuda. Quandoquidem autem qui contra Norimbergensium jura nituntur, in illo etiam non leve præsidium collocant, Rudolphum I. Imperatorem Dnn. Burggraviis per investituram largitum esse Vicariatum & Præsidium perpetuum in provincia Norimbergensi, sciendum est, hoc quoque & à ratione & à veritate longe esse aversum. Verba enim Investituræ Rudolphinæ hæc sunt: *Concessimus Judicium provinciale in Nurenberg, cui etiam, vice Imperatoris, omne judicium judicans præsidebit &c.* Investituræ Albertinæ verba itidem sic se habent: *Judicium provinciale in Nurenberg, cui etiam vice Imperatoris, omne judicium judicans præsidebit.* Ecquis verò non perspicit videtque limitatam & restrictam valde hanc esse concessionem & particularis non Universalis Juris, atque de vicariatu & præsidio loco Imperatoris, quoties nempe Imperator judicium exercet, sermonem esse? Frustra & injustè igitur hæc verba, ad universam ditionem & regionem Noricam trahuntur. Nam in hac ipsa ab initio potestas & jurisdictio solùm penes Imperatores fuit, &, absentibus iis, delegati Præfecti seu Sculteti, ut nominabantur, regimini præfuerunt. Tandem Imperatores summam rei Senatui Norimbergensi regendam & gerendam tradiderunt, atque adhuc hodierno die Princeps ordinis Senatorii, Scultetus castri Imperialis salutatur & existit.

Omnia autem hæc, salva semper submississima erga Serenissimam Brandenburgicam Domum veneratione, à me disputantur eorum gratia, qui, rei ignari & inscii, causæ, quam propugnare & voce & scripto conantur, plus obsunt quam prosunt, & melius edoctorum indignationem imprudenter in se convertunt. Quibus tamen imperitiores & imprudentiores longe sunt, qui ad declamandum huc transeunt tam incaute & temere, ut etiam Norimberg. Reipublicæ jus collectandi denegare ausint. Utramque penes sententiæ hujus

insulsæ fautores paginam facit auctoritas Knichenii, Viri doctissimi equidem sed in Civitates Imperiales paullo, quam par est, iniquioris, iisque jus territorii, si non plane abjudicantis, tamen pro ambiguo & incerto habentis. Instituti brevitas non patitur, ut ad ea excurrat oratio, quæ circa hanc materiam moneri debebant, viderique poterunt Limnæus *Lib. 7. Jur. Publ. cap. 1. n. 50. seqq.* Besoldus *de Jur. Imperial. Civit.* Reinkingius *de Regim. Sec. & Eccles. Lib. 1. Class. 5. cap. 5. §. 5.* Knipschild. *de Jur. & Privil. Civit. Imper. Lib. 5.* hi enim celeberrimi Auctores controversiam istam accuratè definiunt, & ad contraria argumenta solidè respondent. Addatur Casp. Klock. *de Contribut. cap. 5. n. 68. seqq.* qui Baldi illud allegat: quod ille, qui civitatibus Imperii liberis Jus territorii cum Jure collectandi in dubium vocare velit, mundum revangare velle videri possit. Evolvatur quoque Gailius, rerum Germanicarum peritissimus auctor, *Lib. 2. Observat. 57. & Lib. 1. de Pace. Publ. c. 6. n. 11.* Et quid opus est verbis, aut prolixa DD. allegatione, cum vel ex Instrumento Pacis Westphalicæ §. *65.* gravissima illa & pragmatica Imperii sanctione, omnis contradicentium protervia & inscitia refelli queat? Leguntur in eo hæc verba: *Civitatibus Imperii rata & intacta maneant Regalia, vectigalia, reditus annui, libertates, privilegia confiscandi, collectandi, & inde dependentia, aliaque Jura ab Imperatore & Imperio legitimè impetrata, vel longo usu obtenta, possessa & exercita, cum omnimoda Jurisdictione inter muros & in territorio.* Ne dicam, jus collectandi cum jure territorii uno & indiviso nexu nequaquam semper cohærere, in eo præcipue casu, ubi summa Imperatoris clementia Statum quendam Imperii, certo quodam donat ornatque privilegio. Ita ea Imperatorum Caroli IV. & Caroli V. in Senatum Reipubl. Norimberg. fuit clementia & gratiæ summæ indulgentia, ut vi privilegiorum sibi concessorum, jus collectandi apud suos suorumque etiam extra Territorium subditos horumque bona, die Besteurung auf den Ihrigen, und derselben armen Leuthe und Güter, bona fide possideat, exerceat. Mynsing. *Cons. 13. §. 21. & Cent. 1. Observ. 30.* ibique Fabric. *in Not.*

§. V.

Ad Superioritatis Territorialis Jura, merito Jus Episcopale sive Jurisdictio Ecclesiastica adjungitur. Illam olim Pontifices Romani, Imperatoribus & Christiani Orbis Regibus Principibusque, ex mera regnandi libidine, proterve insultantes, injustitiâ suâ maximâ eripuerunt, atque partim manifesta vi, partim astu & molitionibus clandestinis, quasi injecta manu ad se pertraxerunt. Adeoque Jurisdictio Ecclesiastica quondam nisi à Pontificibus, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque summa dignitate Ecclesiastica ornatis Viris, usurpata non est. Anton. Faber. *de Relig. regend. in Rep. Lib. 1. c. 4. n. 2. seqq.* Joh. Gerhardi.

hard. *Loc. de Minist. Eccles. Sect. 5. §. 112. in fin.* Carpz. *Proc. Tit. 1. a. 2. n. 2.* in quam & sententiam inclinat Reinck. *de R. S. & E. L. 3. cl. 1. cap. 10.* Cum vero Pontificum Roman. in gentem Christianam iniquitas & vis patefacta & in forum prolata est, res ipsa loquebatur, jurisdictionem Ecclesiasticam Secularibus Principibus propriam esse. Ut igitur ea postliminio legitimis Dominis, quoad Protestantium territoria restitueretur, id arduum perquam factu erat, & tandem Pacis Religiosæ conclusione auspicatò contigit. Primo equidem An. 1524. in R. I. §. *29.* fundamentum pacis religiosæ factum, & in R. I. An. 1529. §. *10.* confirmatum est. An. 1532. d. 23. Julii, durantibus adhuc Comitiis Ratisbonensibus, Imperator Carolus V. utramque religionem profitentibus pacem publicam concessit, quam legere licet apud Hortlederum *L. 1. de C. B. G. c. X. seqq.* Goldast. *Tom. 1. Consist. p. 511.* & plenius *Tom. 2. p. 127. de Leg. 7. 5. & 7. 1.* Illam Augustissimus Imperator An. 1539. d. 19. Apr. denuo confirmavit, itemque An. 1541. §. *29.* & Anno seq. §. *128. 132.* denique An. 1544. §. *12.* ratam habuit. Sed maxime celebris, atque pro firmissimo munimine rei Protestantium est, Transactio Passaviensis An. 1552. hancque ipsam subsecuta An. 1555. in Comitiis Augustanis religionis causa solennis pacificatio, Caroli V. Imperatoris, Ferdinandi I. Romanorum Regis ac reliquorum Imperii Statuum auctoritate firmata. Ibi per Recessum Imperii ejusd. anni §. Damit auch ꝛc. verbis: So soll die Geistliche Jurisdiction wider der Augspurgischen Confession, Religion, Glauben, Bestellung, Ceremonien, so sie aufgerichtet, oder aufrichten mögten, biß zu endlicher Vergleichung der Religion nicht exerciret, gebrauchet und geübet werden, ꝛc. potestas Pontificum in Protestantes sublata, ac tandem in Comitiis Ratisbonensibus An. 1557. §. *69.* & Augustanis iterum An. 1559. §. *5.* omnibus Imperii Statibus, ob religionis negotium, à Romanæ Ecclesiæ nexu, vinculisque solutis, plenariè ac omnimode tam ea, quæ sunt ordinis, quam quæ jurisdictionis & legis diœcesanæ sunt, restituta sunt. Ultra triginta annos itaque negotium hoc, gravitate & utilitate præstantissimum, protractum est, donec faustum suum & exoptatum invenisset finem. Ahasv. Fritschius *de Jure Eccles. Tract. 3. Tit. 4. §. 2.* Tantum itaque juris circa sacra, in Diœcesibus suis Principes Protestantes titulo optimo jam habere statuendum est, quantum Canones Pontifici Romano, in universum Christianum orbem injuste assignant. Dav. Mævius *Part. 2. Dec. 305. n. 6. ad fin.* Brunn. *Consil. 142. n. 12.* Ad exemplum ergo veterum Regum Romanorum, sedentium ad clavum Imperii & simul sacrorum curam gerentium, Status seculares Imperii Germanici Protestantes, duplicem Personam, Principis videlicet & Episcopi induunt, atque vi superioritatis territorialis, duplicem quoque jurisdictionem in suis ditionibus

bus exercent. Non tantum nempe de Regione sunt soliciti, sed & de religione, atque præcipue, quæ externam circa sacra administrationem respiciunt, ordinant, ne summa imis misceantur, ne in præruptum atque anceps periculum Reipubl. salus adducatur, ne ingenia ad turbas efficiendas proclivia, aviti cultus doctrinam ritus & ceremonias, temere & absque ulla ratione è sua sede & statu dimoveant, aut sub pietatis obtentu divina humanaque jura disturbent, & in tanta rerum perturbatione, ipsam rempublicam violent, dispiciunt & sapienter provident. Extra controversiæ aleam enim hodie ponitur, Dominum regionis temporalem, religionis simul Dominum esse. Dn. Harpprecht *Consil. Tubing. Vol. 1. Cons. 12. n. 45.* Territorium quoque & Diœcesis, in Terris Augustanæ Confessioni addictis, regulariter exæquantur, & iisdem apud ipsos terminis consistunt. *Art. 5. Jus Diœcesanum. Instr. Pac. Monaster.*

Inde manifestò constat, omnes fructus & compendia omnia denegari illis non posse, quibus Jurisdictio Ecclesiastica, ringentibus licet Pontificiis, relinquenda est. Nec ab iis percipiendis Principes & Status Protestantes, annua dirarum obnuntiatio, solenneque Pontificis Romani anathema deterret aut depellit. Omne autem Jus Episcopale, ut summatim exponam, iis, quæ sunt ordinis & quæ Legis Diœcesanæ, vel Jurisdictionis Ecclesiasticæ sunt, absolvitur. Quibus itaque Jus collectandi vi Superioritatis Territorialis competit, illi simul ceu sui Juris Episcopalis præcipuos fructus habent tenentque: 1.) jus exigendi sumtus necessarios, in Visitationes Ecclesiarum faciendos, quos Jus Canonicum Procurationum & Circadarum nomine indigitat, de quibus peculiarem & auctore suo dignam Disputat. Magnif. Dominus D. *Spizius*, Antistes Juridicæ Facultatis Altdorfinæ & Consiliarius Reipubl. Patriæ optime meritus, Fautor & Præceptor æternum devenerandus, edidit. Postulantur impensæ, in rem tam salubrem & necessariam insumendæ, non immerito à Parochianis, utut apud nos moris sit, quo subditi nimiis exactionibus releventur, eas ex reditibus Ecclesiæ erogare. Qua ratione verò Visitatio Ecclesiastica ritè institui, atque cùm in ministrorum Ecclesiæ doctrinam & vitam, tum in Auditorum mores & scientiam accurate inquiri debeat, certa formula & distinctis interrogationibus ubertim exposuit Henr. Eckard. *sub Tit.* Form und Process einer Kirchen-Visitation, cui si addantur & demantur, quæ uniuscujusque provinciæ utilitas & ratio publica exigit, cuncta erunt plana atque perspicua. Tractatum illum laudatum, unà cum ordin. Visit. Saxon. collegit & suo de Jure Visit. adjecit Fritschius. Minore dispendio aliis res hæc gerenda videtur. Scilicet ab iis, qui Cœtus alicujus antesignani sunt, (der Gemeine Vorstehere) omnia illa omnibus vestigiis indagata ad se afferri curant, quæ ad doctrinam, vitam, moresque ministrorum Ecclesiæ attinent ipsos autem in

metropoli

metropoli concionari, à Pastoribus primariis in Examen vocari, profectus eorum explorari, qua ratione officio suo fungantur, & cumprimis apud rudiores Praxeos Catecheticæ, qua nihil salubrius & utilius excogitari potest, rationem reddere jubent. Plura de Usu Visitationum & Procurationum suppeditat Linck. *de Jure Episcop. cap. 10.* ibique alleg. Brunn *Lib. 1. Jur. Eccles. c. 6. membr. 12. §. 8. seqq.* Quibus addas licet, quæ de Officio Visitatorum scripsit Ahasverus Fritsch. *in Not. ad. Ant. Fabr. de Relig. regend. lib. 2. c. 4.* cujus verba B. Brunnemann. *Lib. 1. Jur. Eccles. cap. 6. membr. 12. §. 9.* quoque exhibet: *Visitatores inquirere debent inprimis in doctrinam, quam profitentur Ecclesiæ Ministri, auditores examini subjicere, scandala, si quæ orta, removere, & monere, ut Sacramenta juxta institutionem Christi administrentur, disciplinaque Ecclesiastica legitime exerceatur. Deinde non postrema ratio Ministrorum Ecclesiæ vitæ est habenda, ut exemplo vitæque ac morum integritate ovibus suis præluceant. Experientia namque constat, neglecta hactenus per visitationem Inspectione, Ministrorum Ecclesiæ multos, præsertim in pagis, & doctrinæ ac disciplinæ Ecclesiasticæ exiguam rationem habere, quando magis* boves, *quam Christi* oves, *&* sues *diligentius, quam* suos *pascere & curare.* Joh. Clajus *in præfat. Evang. quadriling.* quem refert Reink. *l. 3. cl. 1. c. 7. n. 2. Hujus autem perniciosissimi mali aliud efficacius remedium non est, quam frequentior Visitatio, censuraque Ecclesiasticæ rigor, quem sane corruptissimi hujus seculi mores postulant. Sunt autem ut in aliis, ita etiam hac in re multi Principes proh dolor! admodum negligentes ac frigidi, qui optimos, quas condidere ordinationes Ecclesiasticas, non exequuntur, aut illarum executionem Ministris suis tantummodo committunt, quorum cura major est sua adaugere commoda, quam Ecclesiæ Christi. Sane, si qui sunt hodiè Principes, quos egregia ac singularis Ecclesiæ, Religionis an Christianismi cura commendat, inter eos non postremum esse fatemur Serenissimum D. S. G. Dominum* Ernestum *Principem supra omnium laudes positum. Utinam vero illius exemplo plures DEI gloriam pro principali ac præcipuo Regiminis scopo haberent.*

Supra dictæ Legi Diœcesanæ 2.) & hinc ipsi territoriali superioritati, dein adscribi debent, reliquæ redituum Episcopalium variæ species, in quantum usus eorum penes nos adhuc invaluit & continuatus est. Enarrationem eorum instituit Linckius *c. 10. Jur. Episc. §. 96. seqq.* suntque quarta decimationis, (qua de insignem Dissertat. Magnif. Dn. D. *Hildebrandus*, JCtus Excellentissimus & Consiliarius Norimbergensis Gravissimus, Fautor meus omni honoris cultu devenerandus conscripsit.) Quarta mortuariorum seu funeralium, & Charisterium denique seu Subsidium Charitativum. Apud nos equidem ea passim increbuit consuetudo, ut Decimæ in alios, quam in Ecclesiæ illiusque ministrorum Usus convertantur, & ad Ecclesiarum conversationem ministrorumque

ſuſtentationem alii ſumtus impendantur. Quarta mortuariorum, eo modo, quo antiquitus in Uſu fuerat, amplius non viget, ſed plane antiquata & abrogata eſt. Chariſterium ſive ſubſidium charitativum autem ego, ſalvo aliorum judicio, ad Collectarum extraordinariarum ſpeciem & ad §. III. hujus Capit. referri poſſe autumo. Atque hanc ob cauſam his ipſis diutius immorandum eſſe, non exiſtimo. Vid Linck. *de Jure Epiſc. Cap. 10.*

Ad emolumenta ſuperioritatis territorialis, intuitu fructuum ex Jurisdictione Eccleſiaſtica provenientium inſigne 3.) augmentum porro accedit ex multis, vindicativarum pœnarum loco, quibus delicta, ad Judicis Eccleſiaſtici Tribunal pertinentia, coërceri debebant, impoſitis. D. Harpprecht *Vol. 1. Conſil. 12. n. 273.* Pœnæ Eccleſiaſticæ quidem præ medicinales maximè ſint oportet, & ad correctionem morum atque ad abolendum ſcandalum potiſſimum tendant; Atque Judex Eccleſiaſticus, ſi quæ offenſio animorum, perverſitate aliquorum, facta eſt, propterea flagitia committentibus pœnitentiam publicam (Kirchen-Buß) irrogandam habet, ut publica animadverſione & publica deprecatione violatæ religionis & pernitioſi exempli culpam expient peccatoris; qua in re adſtrictæ ſeveritatis & diſciplinæ ſingularis olim Vetus Eccleſia fuit. Verum tamen pœnitentiæ priſcæ rigor, noſtro ævo, multis humanitatis condimentis mitigatus, & omnis ferme pœnitentiæ antiquæ Eccleſiaſticæ ratio, eum in modum immutata eſt, ut pœna pecuniaria heic etiam locum habeat, & coercitio delictorum, adulterii quoque, numis redimi queat. Quamvis fatendum ſit, multis auctoribus & peculiariter B. Brunnemanno hunc morem non probari nec laudari, eo quod opulentiores hac ratione deprecationi publicæ ſe ut plurimum poſſint ſubducere, cum tamen mundus hodiernus, non quidem ad fidem ſed ad cuſtodiam præceptorum divinorum externam, compelli velit, ne ex peccandi impunitate pii ſcandalum capiant & tandem ipſi in Conſortium malitiæ trahantur. Ex cujus celeberrimi Viri Conſilio, hujus generis multæ, in foris Proteſtantium fiſco communiter relictæ, in Eccleſiæ Utilitatem & Eleemoſynarum erogationem impendendæ ſunt. Vid. Linck, *ad Decret. Tit. de Pœnis* §. 5.

Aſt licet, quæ Brunnemannus monet, veriſſima ſint, jam nos tamen longa vita uſusque rerum edocuit, in cauſis Eccleſiaſticis pure & abſolutè talibus, delicta & peccata mercede quandoque luenda eſſe. v. g. Si miniſter Eccleſiæ neglecti aut perperam peracti officii ſui reus ſit, & vel ſuſpenſionem vel remotionem promeruerit, multam æris ei dicunt; præſertim ſi gradus admonitionis nondum fuerint adhibiti, ſatis pœnarum dediſſe videtur, cum pecunia multatur. Etenim, niſi in atrociſſimis delictis, ab officio removeri miniſtri Eccleſiarum non debent, ſed & tùm de gradibus Sacerdotii dejiciendi & primum

mùm exauctorandi sunt. Carpz. *Lib. 3. definit. Eccles. 119. seqq.* Imò videtur, multas pecuniarias eo justius imponi, quod Experientia abunde cognitum sit, multos Ecclesiarum ministros, verbis & comminatione remotionis frustra & incassum admonitos, earum irrogatione ad saniorem rediisse mentem D. Stryckius *in Not. ad Br. Jus Eccles. Lib. 2. cap. 19. §. 2.* In causis mixti fori quales matrimoniales cumprimis sunt, sæpius commemoratæ multæ pecuniariæ tanto frequentibus obtinent, quanto crebriores in hac materia exsurgunt lites. Carpz. *Defin. Eccles. Lib. 2. Def. 1.* Modum, quo controversiæ circa matrimonium enatæ, in Dicasterio Reipubl. Norimberg. dijudicantur, pulcherrimè ostendit Generos. & Magnif. Dn. D. *Scheurl.* Jun. Consiliarius Reipubl. in tantum laudandus, in quantum Sapientia & Justitia intelligi possunt, *in Dissert. de Judiciis Norimb.* Multifariam autem heic pœnæ persolvuntur, tam ratione conciliandi quàm dirimendi matrimonii, quin & aliarum circumstantiarum ratione, v. g. si consummationem Conjugii præfractè quis neget, si altera, vel utraque pars, jura connubialia temerè rescindat, si quis dissolvendi, quod antea legitimè initum erat, matrimonii Auctor suasorque extiterit, si quis Proclamationem consuetam publicam remitti sibi petat, si solennitas nuptiarum intra tempus luctus publici, aut intra tempus Constitutione Ecclesiastica prohibitum, adventus sc. & Quadragesimæ, celebretur, si benedictio sacerdotalis, in ædibus privatis, extra necessitatis casum, sit impertienda, si sponsa ante nuptias sui copiam sponso fecerit, si post divortium, nocentibus reis & sontibus ineundi novi conjugii potestas fiat. Ut plurimum quoque Dispensationes circa gradus jure positivo prohibitos, pecunia redimuntur. De gradibus enim, quibus Deus ipse *Levit. 18. & 20.* interdixit, aliter se res habet, atque plurimi Doctorum Protestantium consultius esse censent, prohibitioni divinæ presse insistere, quam liberiori dispensandi licentiæ indulgere. Nam licet prohibitiones illæ, excepta linea ascendente & descendente, naturales esse non credantur, morales tamen eas & juris divini positivi universalis esse, nemo facile inficias ire poterit, cum in aprico sit, Deum universum humanum genus istis legibus devincire voluisse, D. Stryck. ad Brunn. *Lib. 2. Jur. Eccl. c. 16. §. 25.* Plane nihil ad rem facit, quod Concilium Tridentinum *Sess. 24. de Reformat. Matr. c. 5.* cui Canonistæ ad unum omnes adstipulantur, Pontifici Romano potestatem concedat, dispensandi in omnibus gradibus, excepta linea recta, & secluso lineæ collateralis primo gradu, conjugio puta inter fratres & sorores; ejus enim auctoritas penes Aug. Confess. addictos nulla est.

§. VI.

Unicum antequam hoc caput concludam, monendum restat. Quemadmodum, uti supra ostensum est, in alieno territorio alius Territorii non Dominus

minus, regalia quædam, Universali Jurisdictioni alias annexa & propria, exercere potest; ita nihil impedit, quo minus in Regionibus Protestantium, Jurisdictione Episcopali limitata existente, vel per Concessionem Superioris seu expressam, seu tacitam, vel per præscriptionem immemorialem, vel vi possessionis vel quasi istius juris de A. 1624. decretorio illo notissimo, secundum Instrum. Pac. Osnaburg. *Art. 5. §. hoc non obstante &c.* alius quidam, quam Dominus territorialis, aliquod Jus Episcopali cæteroquin juri competens, v. c. Jus Patronatus, Consistorii &c. exerceat, fructibusque exinde resultantibus fruatur; si modo adstruere & liquido probare possit circa memoratum annum 1624. illa jura exercita fuisse. D. Harpprecht. *Consil. Tubing. Vol. 1. Consil. 12.* Nam, (quæ verba sunt Cothmanni, *Responf. 33. n. 39. seq.*) quemadmodum generalis Jurisdictio, quam Duces & Provinciarum Præsides, (Domini Territoriales) in Civilibus & temporalibus habent, nihil detrahit Jurisdictioni inferiorum Magistratuum, in rebus causisque temporalibus & civilibus acquisitæ ac possessæ, ita pari ratione jurisdictio Principum, quam in Ecclesiasticis & Spiritualibus Causis Universalem habent, non potest quicquam derogare in iisdem causis acquisitæ & habitæ jurisdictioni minorum Magistratuum, & per Consequens, causa aliqua super jurisdictionis controversia emergente, Judicis Partes nullæ aliæ esse possunt, quam ut pronunciet, uti possidetis, ita possideatis. Mævius. *Part. 2. Decis. 305. Part. III. Dec. 114.* Brun. *J. E. Lib. 3. cap. 1. §. 4.* Klock. *P. 1. Consil. 51.*

CAPUT III.

DE FRUCTIBUS JURISDICTIONIS SUPERIORIS SEU CRIMINALIS.

§. I.

AB Universalis Jurisdictionis emolumentis, ad Specialium Compendia progrediens, ipse ordo jubet, ut de Superiore seu Alta, verba facere breviter instituam. Inditur ei nomen multiplex & varium, Criminalis enim, merum Imperium, Jus Gladii, Omnimoda, Centena, die Zentbarkeit, Fraißliche Obrigkeit, Blut-Bann, Hals-Gericht über Haut und Haar, Malefitzische Obrigkeit, Königs-Bann, Vitzthumb-Amt, Ober-Gericht nuncupatur. Complectitur illa dijudicationem causarum criminalium, quibus talis culpa inest, ut legum judiciorumque pœnis obligentur. Notissima hujus Jurisdictionis divisio est, in limitatam, quæ particularis quoque & specialis vocari consuevit, & quæ ipsa in alterius ditione seu territorio, ubi alteri Vogteja competit, exercetur, & in illimitatam, universalem etiam & omni-

omnigenam dictam, atque cum superioritate territoriali arctissimè conjunctam, germanico idiomate: Die samtliche und allgemeine Zent. Prior seu limitata, quatuor tantum enormia & grandiora delicta, Homicidium nempe, Incendium, stuprum violentum, & furtum justa animadversione punit, Dietherr. *in Addit. ad Besold. Thesaur. Pract. verb.* Zentbarliche Obrigkeit. Clara in hanc rem maxime sunt verba Imperatoris Rudolphi, Nobilitati Franconiæ privilegia sua confirmantis, quæ Limnæus *de Jure Publ. Imp. Rom. Lib. 6 c. 3.* suppeditat: Da ein Stand, auf deren von Adel Unterthanen und Zinnß-Leuten die Cent unstrittig hergebracht, so solle dieselbe, über die gewöhnliche 4. Fälle, wie von Alters herkommen, als da sind: Mord, Brand, Nothzucht und Diebstahl, in keinerley Weis noch Weeg, exerciret werden. Posterioris seu illimitatæ latissimi sunt termini, irrogat namque ea pœnam mortis, mutilationem, perpetuos carceres, torturam, relegationem, bannum, fustigationem, infamiæ turpitudinem, & quæ sunt aliæ corporales coërcitiones; Vindicat illa omnia scelera & flagitia capitali aut alia insigni animadversione digna, welche Hals, Bauch, Haut und Ehr betreffen, oder, wann einer am Leib, Gliedern und Ehren mit Recht gestrafft werden mag, ut sunt blasphemiæ, dolosa termini motio, injuriæ reales, perjuria, homicidia, incendia, stupra violenta, furta, rapinæ, ponderis & mensuræ adulteratio &c. Unde nemini obscurum esse potest, fructus & emolumenta hujus Jurisdictionis denuo maxima ex parte, multis pecuniariis absolvi, dum superioris vel criminalis Jurisdictionis Dominus, capitalem seu afflictivam corporis pœnam, in delictis mitiorem relegatione coërcitionem non promerentibus, rarò quidem, & ubi salva & illæsa conscientia id fieri potest, positis ponendis, in multam æris commutat, suppliciique rigorem, appensa certa pecuniæ summa, mitigat D. Harpprecht. *Vol. Cons. Tubing. 3. Cons. 49. n. 159. seqq.* Lauterbach. *supra alleg. Dissertat. de Jure aggratiandi*, Linck. *Dissertat. de Centena.*

§. II.

Aliud Emolumentum ex eo negotio, Dominus Jurisdictionis superioris in rem suam vix convertet. Etenim Avena Centenæ, der Cent-Habern, quam centenici subditi in recognitionem Centenæ ipsius alicubi solvere tenentur, item victus, panes, sumtus in aperitores, lictores & carnifices erogandi, der Lands-Knechte, Zen-Bittel, Frey-Bothen-Brod oder Leebe ꝛc. ingleichem das Hencker-Geld, atque in universum expensæ in Executionem Criminalem faciendæ, quas quorundam locorum subditi per longævam provinciarum consuetudinem persolvunt, necessariam rerum consequentiam haud efficiunt. Sane consuetudo illa rationi & æquitati repugnat, singularis atque odiosa jure habetur, & cum in certis tantum locis vigeat, receptaque sit, ulla favorabili aut

extensiva interpretatione confirmari, stabiliri & introduci non debet. Nec ullius momenti est, si quis obvertat, ex administratione justitiæ subditorum vitam, fortunasque in tuto collocari, & à malis nocentibusque regionem liberari. In promtu siquidem est Responsio, hoc ipsum à sanctissimo summam tenentium civilem officio jure exigi & expectari, ut pœnam violatæ publicæ tranquillitatis sontibus infligat, & acer vitiorum vindex existat, sumtus autem in eam rem, cum pœnas Diis, hominibusque meritas debitasque quis luit, ex reditibus publicis persolvat, inemtaque subditis maneat justitiæ administratio. Besold. *Consil. Tubing. Vol. 2. Consil. 36.* Klock. *de Contribut. cap. 1. n. 312.*

CAPUT IV.

DE FRUCTIBUS JURISDICTIONIS CIVILIS, VOGTEJÆ SC. ET ILLIMITATÆ ET LIMITATÆ.

§. I.

FRuctus Jurisdictionis altæ & Criminalis, excipiunt Compendia bassæ & civilis, quæ Vogtejæ nomine venit. Alicubi, & in Franconia quoque, Vogtejæ vocabulum latissimæ pariter amplissimæque est significationis, ut, quæ Superioritati territoriali usu & fructu propria cæteroquin sunt, quidam Auctores hujus Jurisdictionis speciei assignare non dubitent, testibus Wehnero, Linckio, Knichenio &c. Hunc in modum Vogteja ipsis aliquando denotat Territorium, Grund und Boden, cum omni causa & Regalibus, mit aller Landes Herrlichkeit, hoher und Ober-Bottmäßigkeit, concessum. Ita vero Vogtejæ Exercitium Immediatis necessario attribuendum erit; fruuntur enim ipsi, prout verba habent, in Cons. pro Jur. Nob. Immediat. Franc. Mund. *Tract. de Muner.* annexo, *n. 16.* penes Castra sua, & Oppida, Pagos Villasque proprio territoriali districtu, Regalibus, Jurisdictionalibus, mero ac mixto Imperio, habent immediate sibi obnoxios subditos, estque illis in hosce Vogteja & Judicialis potestas, unà cum plurimis aliis prærogativis, sive ex jure sive ex consuetudine resultantibus, als der Erb-Huldigung, Pflicht, Verboth, Geboth, Straffbarkeit, Reiß, Folg, Steuer, Frohn, Dienst, Schatzung und alles Gehorsams. Quam ob rem haud abs re Domini Territorii etiam nominantur, quoniam jura sua territorialia, utpote Collectandi, Ordinationes faciendi, præcipiendi, mandandi, prohibendi, onera subditis imponendi, & si quæ alia Jurisdictio sub se continet, tenent, & indubio exercitio possident. Nil jam esset negotii ex Wehnero aliisque luculentis auctoribus, jura ad hancce Vogtejam attinentia numerando percensere, eorumque tam prolixum texere Catalogum, ut, præter quatuor enormia & grandiora delicta

licta criminalia, cum Superioritatis territorialis tum aliarum Jurisdictionum Regalia vastitate sua concludat; ast, hæc omnia me præterire posse arbitror, quod supra de Superioritate territoriali, ad quam Vogteja hæcce proximè accedit, satis superque actum sit. Mihi hoc saltim propositum est, ostendere, quinam fructus sint Vogtejæ, jurisdictionem bassam respicientis, inferioris nimirum & mediatæ, quæ à Statibus Imperii juxta cum Oppidis, Villis, Castrisque iterum aliis separatim concedi potest, ita ut nihilominus de Superioritate & Imperio nihil derogetur, aut imminuatur. Constituit enim illa peculiarem Jurisdictionis speciem.

§. II.

Vogteja illa inferior, das Vogt-Recht, Hoffmarckt-Gericht, Hoffmärckische Freyheit, oder Niedergerichtliche Obrigkeit, circa causa Civiles, quocunque nomine veniant versatur, als Gülden, Schulden, liegenden, fahrenden, beweglichen und unbeweglichen Güttern, & delicta leviora, die nicht zu Haut und Haar gehen, Frevel. Dividitur præterea in illimitatam & limitatam; Qui illimitatam sive generalem, totius alicujus Villæ aut Pagi Vogtejam, die Vogtey und Erbgericht, per Investituram est adeptus, ille eam in omnes pagi istius vel Villæ Incolas exercet, id quod vocant, auf der Gemein zu Dorff und Feld. Cui particularis solum & limitata concessa est, arctissima potestate ille utitur, atque Vogtejam suam extra limites & terminos, quibus tanquam concellis & claustris circumscriptus est, extendere nequit, illique tantùm certi & denominati Vasalli, intra ambitum prædii sui aulæve, subjecti sunt, atque cum terminis & finibus aulæ suæ, ipsa ejus terminatur jurisdictio, in seinen 4. Pfählen, als eine mit Thür und Angel beschlossene oder mit Pfählen verstrickte Vogtey, auf gewisse Erb- oder Lehen-Leuth und derselben Hofraith. Utriusque vera igitur est & expedita distinctio. Sed, quoad fructus & emolumenta, in præsenti tractatione mea, divisio illa non adeo attendenda mihi videtur, ut separatim de utraque disserere opus habeam. Nihil quippe facilius, quam, observata subjecti & objecti diversitate, unicuique suos adscribere limites & sua vindicare jura. Quod enim Domino Vogtejæ generalis seu illimitatæ juris & potestatis est, in pagi aut Villæ incolas universos, illud Domino Vogtejæ particularis & limitatæ, intra sui prædii cancellos in suos habitatores Vasallosque ferme pari licet libertate.

§. III.

Fructus Jurisdictiones bassæ rursus ergo præbent 1) multæ pecuniariæ, eæque ex causis Civilibus, & ex iis, quæ tuendæ hujus jurisdictionis causa aguntur, derivatæ, delictis porro minoribus, & modici excessus peccatis impositæ, in quibus capitalis aut corporis afflictiva punitio exulat, & incarceratio,

aut multa pecuniaria, per longum temporis Usum locum invenit, uti sunt: Adulteria simplicia, fornicationes agri injusta consitio, ejusdem injusta messio, injustique sepimenti positio, ita tamen ut limes & lapis marginalis integer maneat, das Uberackern, Ubermähen, Uberzäunen ohne Verletzung der Marcksteine, altercationes, rixæ, vibices, læsio, levia vulnera furta minora, injuriæ, calumniæ, convitia, mercium prohibitarum venditio, stellionatus, lusus vetitus &c. Das Braun- und Blau-schlagen, Rauffen, Stechen, Werffen, Verwunden ohne Todes Gefahr, geringer Diebstahl, Injurien, Schelten, Schmähen, Verkauffung verbottener Wahr, verbottener Spiel, ꝛc. 2) Gabellæ, ratione causarum Civilium solutæ, pro conficiendis v. g. Contractibus & Inventariis, pro rationibus tutelaribus, Vormundschaffts-Rechnung, pro Concessione Securitatis publicæ, für Geleit in Ort, Dorff und Marckt, pro Sigillo appenso aut impresso, Sieglungs-Gebühren, Zehlgeld, pro receptione aut valedictione, Auffnahm- und Abzugs- oder Abschieds Geld, pro Donatione Civitatis, wegen Ertheilung des Burger-Rechts pro laudemiis, Hand-Lohn und Erb-Fäll, pro encæniarum nundinarum vè permissione & protectione &c. quo referri insuper commode poterunt, reditus ex fundis, Vectigalibus minoribus, censu detractionis provenientes, der kleine Zoll und Nachsteuer, prout in Oppidis Norimbergensibus Usu venit. 3) Aliæ res vel ob Qualitatem Vogtejæ, vel in recognitionem ipsius præstandæ, quæ admodum variant, diversique juris morisque sunt, nimirum die Walperkühe, à tempore Oblationis circa festum Walpurgis denominatæ, ova quadragesimalia, die Fastnacht-Eyer, Gallinæ, aut capi Pentecostales & autumnales, die Pfingst-Herbst-Rauch- und Haupt-Hüner, avena Vogtejica, der Vogt-Habern, Korn-Pacht, die dritte und vierte Garbe, Geld-Pacht, Trifft-Geld, Silber-Zinß, und dergleichen Waid-Geld, Operæ &c. in quibus percensendis enumerandisque mihi breviori licet esse, quod omnia hæc prolixius legantur in Knichenio, Linckio *in Disp. de Vogteja*, & Ertelio *in Praxi Jurisdictionis Inferioris aurea*, ibique allegatis Doctoribus.

CAPUT V.

DE FRUCTIBUS JURISDICTIONIS FORESTALIS.

§. I.

VEnationem & Forestam comprehendentis Jurisdictionis dictæ Forestalis, der Förstlichen Obrigkeit, Fructus, die Waldnutzungen, nunc ut exponam, Institutio monet. Est autem Jurisdictio Foresti, qua de in Forestalibus & Venatoris. Constitutionibus Ordinationibusque Jagd- und Forst Ordnungen explicate agitur, illa ipsa; quæ circa sylvas ac nemora, & circa omnia pariter ab his dependentia, versatur. Exercetur ea potissimum

mum harum ratione rerum, quibus Jura Venationis sunt annexa, adeoque duabus cumprimis absolvitur partibus: 1.) Banno ferino, Germ. Wild-Bahn, quo ipso imperium in feras tum jus ac potestas venandi, tantum acquiritur, ita ut investigare feras, persequi illas & capere, plus autem non liceat; 2.) Jure Foresti, quod sylvarum & nemorum curam in se suscipit. Quemadmodum vero duæ istæ partes, & objecto & subjecto, & administratione & effectibus differunt, imo ut pars & totum, seu potius ut magis & minus, inter se distant; ita aliquibus jus Foresti, excluso banno ferino, separatim competit, nec duo illa semper & ubique indissolubili nexu conjuncta inveniuntur. E contrario sæpius contingit, ut in uno foresto alii die Wild-Bahn, alii das Forst-Recht adscribatur, nec statim qui altero v. c. jure foresti gaudet, eapropter jus venandi quoque illum habere credendum est. Multo minus existimare debet, eum qui bannum ferinum possidet, jurisdictionem forestalem sibi vindicare posse, qua de re accurate, ut solet, agit Ill. Stryck. *in Præfat. ad Fritschii Corp. jur. Ven. Forest.* Quare fructus quoque utriusque distincti omnino sunt, & nequaquam invicem confundi debent. vid. Knichen. *de Jure Territ. c. 4. n 295.* Ahasv. Fritsch. *in Corp. Jur. Venat. Forest.* Carpz. *in Pract. Crimin. Part. 2. quæst. 84. n. 22.* Wehner. *voce* Förstliche Obrigkeit.

§. II.

Restringuntur itaque Banni ferini des Wild-Bahns, Jagd- und Jagens-Gerechtigkeit Emolumenta, ad ea 1.) quæ ex jure venandi proveniunt, hæcque ipsa, ad venationis modum se conformant, e. g. qui universalis venationis, der hohen Jagd- oder Wild-Bahn, jure fruitur, commoda exinde fluentia percipit, & qui particularis, des kleinen oder niedern Waidwercks, potestate donatus est, commoda huc relata expectat. 2.) Ad multas à venantibus omnibus & indagatoribus maxime ferarum debitas, si contra prohibitionem Principum aliquid committant, vel in leges venatorias temerè peccent, aut alio quocunque modo pœnam incurrant; sc. cum exercitio venandi indulgent, quos mandatum Superiorum ab eo arcet, cum acuti nimis pali à subditis pro sepibus infiguntur, quibus deinde feræ transilientes crebro transfigi queunt, die Verbietung der spitzigen Zäune, cum subditi bombardis armati per sylvas transeunt, Büchsen in der Wildfuhr tragen, cum canes absque fustibus collo transversim alligatis per nemora transcurrunt, denen Hunden Brügel anzuhängen ꝛc. 3.) Ad expensas & operas, ad quas, aliquibus in locis, subditi tenentur, eò quod absque illis Venationes commode expediri nequeant, Jagd-Frohn, Jäger-Zährung, Jagd- und Hunds-Habern, & 4.) ad apes feras, die wilden Immen; quod postremum in sylvis Noricis, à Carolo IV. Imperatore Augusto, in Privilegio quodam de An. 1350. splendido

titulo: Sein und des Reichs Bienen-Garten vocatis, diverso plane modo observatur. Heic enim, ex speciali Cæsarea gratia, Mellicidæ sive Zeidlarii non tantùm soli apes habent, sed & soli simul sylvestres seu feras apes occupant, sibique in solidum vindicant. vid. Generosi admodum & Magnifici Domini *Scheurlii*, Junioris, Consiliarii Norimb. gravissimi, supra jam laudati, nec tamen unquam dignè aut satis laudandi, Dissertat. Inaugur. *de Jure Mellicidii*, vom Zeidel-Recht. Noe Meurer vom Jagd- und Forst-Recht. Wehner. *vocib.* Forst-Recht und Vogelheerd. Besold. *voc.* Forst-Recht, Forstliche Obrigkeit ꝛc. in quibus Auctoribus plures huc pertinentes Quæstiones, vexatæ & controversæ valde, pulcherrime discussæ & illustratæ inveniuntur.

§. III.

Foresti porro Juris fructus absolvunt 1.) Multæ rursus, impositæ & solvendæ tam à constitutis saltuariis, officii sui partes non ritè implentibus, quam ab aliis in Ordinationes forestales, Wald-Ordnungen, peccantibus, v. g. si arbores fructiferæ extirpentur, si sylvis noviter cæsis damnum inferatur, si capræ, oves, aut alia animalia sylvis nociva gregatim in nemora immittantur, si impingentibus in jura forestalia pignora auferantur, & soluta pecuniæ summa restituantur, si sylva sit bannita, & jus pascendi aut lignandi ad certum tempus interdictum sit, atque nihilominus quidam Statuta illa susque deque habere audeant. 2.) Jus pascendi, sues immittendi tempore glandium, Schwein in das Eckerich einschlagen. 3.) Jus lignandi, item ligna arida & mortua ab arboribus & frondibus separandi; quo pertinent & ligna jacentia, Wind-Fälle und Brüche, Laub-rechen, Wald-Zinse, ꝛc. 4.) Jus defalcandi graminis. Quæ postrema tamen hæcce, subditis, non nisi limitate, certis temporibus & modis fruenda conceduntur. Denique 5.) Jus glandes legendi, Eichel und wild Obst lesen, Haselnüsse brechen. Ertel. *in P. A. J. J. Lib. 3. cap. 34. Obs. 4.* ibique alleg. DD. non obstante, quod à Struv. *in S. J. F.* & quidem *cap. 6. aphorism. 11.* Juri venandi sit adscriptum, cum ei satisfactum sit à Rivino in Concilio, de Jure glandis legendæ, quod in Ahasveri Fritschii *C. J. V. F. p. 933.* legendum extat.

CAPVT VI.

DE FRVCTIBVS JVRISDICTIONIS FEVDALIS COMMVNITER SIC DICTÆ.

§. I.

FOrtissimum quam maxime reverentiæ & fidelitas Vinculum est, quo Vasallus Domino suo obstringitur; quandoquidem ob id, tam corporis quam animi viribus, in pace æque ac in bello, ei opem ferre tenetur. Quare Juris-

Jurisdictionis feudalis emolumenta & commoda, non exigui momenti sunt. Lubet vero ex iis sequentia cumprimis annotare. Scilicet Vasallo, feuda propria possidenti, vel determinatè vel indeterminatè præstanda 1.) incumbunt servitia, die Lehendienste; Sed uti fermè usu receptum & confirmatum est, sumtibus Domini. Quæ ut rite exhibeantur, ante omnia inspectione literarum Investituræ opus est, cum illæ de conventione inter Dominum & Vasallum inita, clara testentur. Vasallus enim ad alia, de quibus literæ Investituræ mentionem non faciunt, non obligatur, nisi ingruente & urgente summa necessitate, quæ omnem legem respuit & prout in vetere proverbio dicitur, ultimum ac maximum telum est. Determinatio Servitiorum in feudis Imperii, in Matricula facta est. Indeterminata si æquitatis ratio exposcat, moderata illa, possibilia, honesta nec inconsueta sint oportet, & in iis exigendis atque exsequendis, ad utilitatem & qualitatem feudi attendatur; quippe contra fas & absonum valde est, ut aliquis plus oneris & muneris suscipiat, quam per beneficium tenet. Rosenthal *in Synopsi Juris Feud. Cap. 8. Conc. B. 19. seqq.* D. Stryckius *in E. J. F. cap. 18. q. 7. 11. 12. 27.* & ad has in Annotat. Winzinger. Struv. *in S. J. F. c. XI. aphoris. 4. seqq.*

§. II.

Substituuntur autem servitiis, & haut raro eorum loco præstantur aliæ res, per quas commodo Domini feudi consulitur, & utilitati salutique ejus inservitur. Ita, Reipublicæ necessitate sic ferente & cogente, atque Domino rebus suis aptius & utilius pecunia, quam servitiorum præstatione, prospiciente, equestria servitia ære redimuntur. Notum est, præstationem hanc pecuniæ, Adoham sive Adærationem, Germ. die Heersteuer, vocari. Quantitatem ejus & summam vel consuetudo loci determinabit vel literæ investituræ definient Dn. Stryck. *all. l. q. 28.* Alio modo, nec invitis Dominis, se quidam Vasalli à servitiis debitis expediunt & liberant, per dimidiam partem fructuum feudalium. Hæc ipsa vero dimidia fructuum pars pro singulis annis, in quibus servitia sunt præstanda, seu quibus hostem faciunt, computanda erit. Dn. Stryck. *q. 32.*

§. III.

Accessit 2.) Domino feudi, ex Jurisdictione sibi competente, insigne illud emolumentum, ut ad alimentationem sui Vasallus teneatur. Nam si ad eas rei familiaris augustias Dominus decidat, ut inopia laboret, ad explendam ipsius egestatem, Vasallus dimidiam cujusque anni fructuum feudalium partem suggeret. Aut si contingat, illum in potestatem hostium venire, vel injuste captivum detineri, tum 3.) fide jubendo, vel quacunque ratione alia, Vasallus ipsi subveniet; id quod Domino feudi novum suæ jurisdictionis parit emolu-

emolumentum. Et ſi vel maxime ſolutum lytrum ex bonis captivi Domini capere nequeat, illud Vaſallus pro contributione ſervitiorum vel alimentorum loco, præſtita habebit. Dn. Stryck. *quæſt. 38.*

§. IV.

Auget 4.) hujus Jurisdictionis Emolumenta, facultas extra ordinarias collectas imponendi. Winzing. *in annot. p. 519.* ibique alleg. DD. ſub qua non immerito comprehendo Jus maritagii, ſeu contributionem, quam Vaſalli ad dotandas Domini filias, niſi pater congruam dotem conſtituere poſſit, vel conſuetudine, vel pactis vel neceſſitate urgente, debent, Germ. die Fräulein-Steuer. Quod & penes eos obſervabitur, qui à Principibus feudum, quamvis absque juribus regalium, impetrarunt, quales Duces, Comites, & Barones Germania noſtra multos numerat. Wehn. *in Obſ.* Beſold. *in Theſ. Pract.* & Dietherr *in Cont. hac voce.* Aſt illud ad ſecundas nuptias, denique filiorum, haud temere extendendum. Caſp. Ziegler. *in Diſſ. de Jure exig. collect. ad elocat. fil. illuſtr.* Nec minus ad extraordinarias Collectas referri poſſunt, oblationes pecuniarum, quas Domino ſuo Vaſalli ex liberalitate, quocunque nomine veniant, præſtant, vulgo Præſent-Gelder, Donaw-Gelder. Struv. *Cap. 14. aph. 16. n. 3.*

§. V.

Pertinent huc porro 5.) Multæ, in feudalibus, vel ob commiſſionem vel omiſſionem in res vel perſonas Domini, dictare ſolitæ, e. gr. quæ propter contumaciam in non comparendo, vel improbum beneficii uſum, ob omiſſam & non petitam inveſtituram (etiamſi quidem juramenti præſtatio pacto ſit remiſſa) ob condonatam feloniæ pœnam, ut & in omnibus illis caſibus, ubi Vaſallus arbitrarie punitur, exiguntur & ſolvuntur.

§. VI.

Tandem hisce 6.) addendum eſt Laudemium, das Lehen-Geld, Handlohn. Scilicet Domino feudi, pro receptione novi Vaſalli, in quem feudum per alienationem, aut alio juſto titulo, transfertur, certa pecuniæ ſumma, perſolvitur. Viget etiam illud, non tantum cum Dominus diem obiit ſupremum, ſed & obtinet hic mos, ſi alia quavis ratione mutatio Domini intercedit, aut dum liberi, conjunctim antea Laudemium ſolventes, poſtea diviſionem feudi, juſto conſilio, inſtituerunt. In ſolatium quaſi & Domini recreationem conſuetudo hæc introducta putatur, & a quibusdam Juris interpretibus Laudemium majus, die hohe Lehen-Wahr dicitur, atque quandoque viceſima, interdum etiam, duplicata ratione, decima pretii parte abſolvitur & æſtimatur. Quamvis fatendum ſit, determinationem illam ex conſuetudine unice dependere, (hinc & Conſuetudinarium appellatur) & ubi illa non invaluit, neminem

minem eapropter obligari. Vid. Franzk. *de Laudem. cap. 4. n. 8. seqq.* Ludwig. *de Renov. Invest. p. 448.* Dn. Stryck. *cap. 7.* Carpzov. *P. 2. C. 39. D. 33.* Diversa itaque ratio est Laudemii minoris, kleine Lehen-Wahr, abusivè sic dicti, & à priore utique distincti. Hoc enim in honorario, pro scriptione investituræ literarum solvendo, in Taxa præterea & sportulis, pro instrumento Investiturarum conficiendo, Cancellariæ præstandis, consistit. Struv. *Cap. X. aph. 12. n. 9.*

CAPVT VLTIMVM.

DE FRVCTVVM JVRISDICTIONALIVM EFFECTIBVS.

§. I.

IN Effectus fructuum jurisdictionalium, de quibus hactenus præcipua Capita ordine exposui, ut adhuc inquiram restat. Argumenti ubertas, eos multos admodum esse arguit; sed cum intra Disputationis Academicæ limites mea decurrat scriptio, & brevitatis ratio ubique à me hucusque sit habita, non omnes in medium producere potero, sed communes tantum & illos potissimum delibabo, qui percipienti proficui sunt & lucrum aliquod afferunt. Me igitur arbitro, primus ac nobilissimus fructuum jurisdictionalium effectus erit, quod sæpius memorata emolumenta Domino Jurisdictionis præcise sint dependenda. Quod in tantum verum esse puto, ut si quis forte, consensu Domini insuper habito, alium pro Domino suo agnoscat, eique præstanda, uti loquimur, præstet, is non solum eapropter à vero Domino super eo conveniri, vi *l. 34. §. 4. ff. de Solut. l. 12. C. eod.* cujus rationem adde ex *l. 11. ff. de R. J.* sed &, pro re nata, carcere, aut alia gravi multæ exactione coerceri atque puniri queat. Confer omnino Reform. *Lib. 1. Tit. 1. l. 1.* Diversum longe jus & dispar conditio est, si qui vi metuve, aliisque libertatem consensus destruentibus viis ac mediis, eò adigantur, ut fructus istos aliis quam veris Dominis exhibeant. Nam si hoc casus ferat, venia & impunitas ultrò est danda, & contra tertium, si vis illata fuerit, omnia præsidia sunt adhibenda vid. Ertel. *de Jurisdict. Infer. Lib. 2. c. 25.*

§. II.

Alius erit effectus fructuum Jurisdictionalium, si variis remediis contra insultus adversariorum, & obtineantur & conserventur. Non alio certè fine adversarius in jura nostra involat, & fructuum nostrorum perceptionem perturbat, quam ut potestatem, quâ hactenus usi sumus, sibi asserat & dominium nostrum in se transferat, nobisque non ambiguam modo reddat possessionem, sed & plane nos illa exuat atque privet; cujus conatibus legitima defensione tùm obviam itur, & si aliter fieri non potest, vis vi repellitur. *l. 3. ff. de Just. & Jure.* Longe quippe maltumque præstat, inviolata & intacta semper sua

jura ſervare, quàm, poſt vulneratam cauſam, demum remedium quærere. *l. ult. in fin. C. in quibus cauſ. in integr. reſt. neceſſe non eſt.* Verum cautela heîc inſimul opus eſt, nec ita crudè aſſerta hæc ſunt intelligenda. Scilicet agreſſio præcedens inimici noſtri, violenta ſit, & invaſio ejusdem in juſta, *l. 1. C. unde vi, l. 3. §. 9. ff. de vi & vi armat.* noſtra è contrario defenſio nullam habeat, moram, nec in longum differatur. *d. l. 3. §. 9.* reſpondeatque injuriarum propulſatio præviæ offenſioni, *l. 1. §. 27. eod.* Quod ſi potentia adverſarii propugnationem noſtræ cauſæ eludere videatur, proteſtatione facta, illam tueri licebit. *l. 4. §. 1. ff. quib. mod. pign. ſalv.* Tab. & Barb. *in Theſ. Loc. Comm. voce. Proteſtatio.* Nec minus integrum erit, jure experiri, & rem omnem legibus dirimendam committere. Quo in caſu, juris noſtri conſervationem & tuitionem, varia aggredi poſſumus via. Etenim, ſi delictum quoddam concurrerit, fractæ & violatæ pacis publicæ adverſarium accuſamus, per Rec. Imp. de A. 1548. §. 1. *in verb.* Daß auch keiner ꝛc. vid. Gail. *Tr. de Pace Publ.* Inſtr. Pacis *Art: 17. §. 6. 7.* Recuperandæ poſſeſſionis cauſa, Jus Canonicum tutiſſimum & pleniſſimum remedium nobis ſuppeditat, *in Can. redintegranda 3. Cauſ. 3. quæſt. 1. & cap. ſæpè 18. X. de Reſt. ſpol.* Poteſtatem autem & jura noſtra declaramus, intentata confeſſoria utili arg. §. 2. *I. de Act.* Levioribus inimicorum aſſultibus alia parata ſunt remedia. Nam adverſus eum, qui à vi abſtinuit, in fructuum tamen perceptione nos turbavit, & jus illud, unde perceptio enata eſt, controverſum nobis fecit, actionem injuriarum inſtituimus, arg. *l. 13. §. f. ff. de Injur.* Ad retinendam poſſeſſionem vel quaſi, utimur ſalubri cumprimis interdicto uti poſſidetis, cujus vi turbatori noſtro injungitur, ut à turbatione deſiſtat, & competentem cautionem præſtet. Gail. *L. 1. Obſ. 116. n. 5.* add. *cap. 9. X. de probat.* Ad declarationem denique libertatis, inſervit utilis negatoria. Immo nihil quicquam obſtat, quin & hac in re, iis, quæ per Imperii ſanctiones conceduntur remediis mandatorum, e. g. de Pignorationibus, uti queas, dummodo exceperis pignorationes ob fructus Jurisdictionis Criminalis, & ob cauſam ejus, ipſam nimirum criminalem Jurisdictionem factas, per expreſſa verba Ord. Cam. de A. 1555. *P. 2. Tit. 22.* ibique: Allein Malefitz-Sachen ausgenommen. Mindan. *de Mandat. Lib. 2. c. 56. §. 2. 3. & Lib. 2. c. 11. §. 8.*

§. III.

Probationes ex fructuum perceptione reſultantes, novum eorum effectum oſtendunt. Ex parte fruentis enim, poſſeſſionem vel quaſi jurisdictionis noſtræ probant. B. Brunnem. *in Conſil. penult. n. 235.* Klock. *Vol. 1. Conſil. 50. n. 275.* & *Conſil. 37. n. 6.* Knichen. *de Jure Territ. Cap. 3. num. 213.* ex parte vero præſtantis & præbentis, ſubjectionem commonſtrant. *c. 2. X. de Cenſib.*

Aſt

Aſt, quod ſilentio involvi non debet, hæc in poſſeſſorio ſaltem, vel ubi de cauſa proprietatis incidenter agitur, vim ſuam exſerunt. Fab. *in Cod. Fabr. Lib. III. Tit. 22. Def. 18.* Nam in petitorio, dum cauſa proprietatis principaliter ventilatur, longè fortiores & prægnantiores iis probationes exiguntur arg. *l. 4. C. de Probat.*

§. IV.

Pariter in Demonſtratione ſpeciei Jurisdictionis, utilem navant operam. Videlicet prout conceſſio vel præſcriptio unius alteriusve ſpeciei Jurisdictionis, ſtricte & citra extenſionem capitur, per ea, quæ habet Meichsner. *Tom. 2. Dec. Cam. Lib. 2. Deciſ. 4. n.* 175. ita quoque perceptio certæ ſpeciei fructuum, illam ipſam jurisdictionis ſpeciem, ex qua proveniunt, veluti effectus cauſam ſuam arguit, & clare deſignat.

§. V.

Tandem poſtremus, quem commemorare placet, effectus conſiſtit, in ſæpius dictorum fructuum Valore & æſtimatione. Tralatitium profecto eſt, ob dignitatem, jurisdictioni annexam, percipiendi fructus exinde natos multum ſplendoris & æſtimationis accedere, atque majoris æſtimari, ſi v. c. 300. hoc nomine in Uſus noſtros redundant, quam ſi ex aliis rebus 800. proveniant Franciſ. Mantic. Card. *de Tav. Conv. Lib. 4. Tit. 20. n. 15.* Eam ob cauſam Rimin. *d. l.* allegatus, aſſerere non dubitat, duos ex jurisdictione perceptos, quinque exſorte 100. fruendos, æquare. Hoc autem non aliter in æſtimatione attendendum eſt, quàm ſi reditus certi ſunt, & citra controverſiam conſtituti; in certos enim & dubios nemo ſanæ mentis tanti faciet. Klock. *Tom. 2. Conſ. 17. n. 21.* Unde facile de eo etiam exiſtimari & judicium ferri poteſt, utrum Jurisdictio potius lucroſa, an oneroſa dicenda & prædicanda ſit? Sane Imperantium Onera, magna & gravia ſatis, ab eo, qui æqua rem ponderat lance, non ignorantur, licet populus ac vulgus imperitorum, ut ſunt imbecilla & procacia plebis ingenia, commoda ipſius mirum in modum extollat.